

Dissertatio inauguralis de somniis medicis ... / subjicit George Gottfried Janitsch.

Contributors

Janitsch, Georg Gottfried.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Johannis Henrici Heitzii, [1720]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rvtqdbay>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. F. F. S.

20

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE

SOMNIIS MEDICIS

Quam

DVCE ET AVSPICE AR-
CHIATRO SUMMO

PERMISSU ET AUCTORITATE

GRATIOSISSIMI ME-
DICORUM ORDINIS

IN

Alma Argentoratensium Academia

PRO IMPETRANDIS SUMMIS IN ARTE MEDICA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

SOLENNI EXAMINI

Subjicit

George Gottfried Janitsch / Suidnic. Siles.

d. 21. Martii M DCC XX. H. L. Q. C.

ARGENTORATI, Typis Johannis Henrici Heitzii.

THE

SONS

MEDICAL

OF

THE UNIVERSITY OF

EDINBURGH

AND

THE ROYAL COLLEGE OF

PHYSICIANS

OF

EDINBURGH

PRINTED BY


W. & A. C. BLACK, 10, N. B. ST.

EDINBURGH

1882

THE UNIVERSITY OF EDINBURGH

PRINTED BY W. & A. C. BLACK, 10, N. B. ST. EDINBURGH




PRÆFATIO.

Um pudori sibi non haberunt Aristoteles, Hippocrates, Synesius, Artemidorus, Cardanus, Wedelius itidem, & multi Medicorum varia de somniis relinquere posteritati, mihi etiam nullus vitio vertet, si speciem quandam somniorum pertractare aggrediar. Limitatione enim egere credo dictum illud Poetæ:

*Somnia fallaci ludunt temeraria
nocte*

*Et pavidas mentes vana timere
jubent.*

Facile persuadeor, quod non omnibus placuerit argumentum, utpote parum seculi genio accomodatum. Eandem autem felicitatem pauci, imo nulli etiam experiuntur; hinc ferenda sunt patienti animo quæ non mutanda. Cæterum, si falsitates deprehenderit in ipsa hac opella lector noster, patiar lubens ejus censuram, ex singulari, quæ veritatem prosequor, amore, meliora arrepturus.



C A P U T I.

De Existentia Somniorum Medicorum.

§. I.

SI nominalem somniorum medicorum definitionem intueamur, consistent in eo, quod sint somnia, in quibus medicamentum morbum pellere valens detegitur. In specialiori itaque significato ea sumi extra dubium est. Removentur enim omnia illa, quæ a variis Medicis (α) tanquam signa venditantur latitantium in corpore nostro causarum morbificarum. Porro ea, quæ vel appropinquantes morbos, vel finem morborum indicant. Hanc autem appellationem ideo mihi condonandam esse crediderim, dum & vox medicari specialiori hac notione gaudeat, non semper omnem operam τῶν ἰατρῶν involvente, sed sæpius illum solum laborem indicante, quando media ad morbos pellendos aptiora visa applicant.

A

§. II.

(α) vid. Lomii obs. Med. l. 3. item Peucerus de divin. ex somn.

§. II. Jam vetustissimis temporibus & ubi adhuc in incunabilis erat ars medendi, annotatum legimus, quod optima sæpius medicamenta somniantibus fuerint revelata. Sic memoriæ prodidit Diodorus Siculus (α) Ægyptiorum gentem haud raro idem expertam esse, id quod ex superstitionoso cultu, quo Isidem venerabatur, Isidi imputabat. Et consulto eadem gens hanc ob causam tum in Serapidis tum Isidis templo somnia cepit. (β) Cum etiam insignis sæpius efficaciam fuerunt manifestata medicamenta, nomina sua ab Iside reportarunt (γ)

§. III. Post Serapidem & Isidem mentio etiam facienda est illius ritus, qui in templo ipsius Æsculapii observabatur. Non infrequens hic erat concursus plurimorum ægrotantium quorum, uti credebant, e re videbatur, ut sæpius per plures dies in ipso hoc fano pernoctarent, donec tandem voti sui compotes facti & medicamentorum morbo suo profuturorum admoniti erant. De rei veritate suspensæ ibidem tabulæ, quibus inscripta erant medicamenta, testantur. Plurima, uti creditur, ab Hippocrate descripta sunt antequam templum Æsculapii in Insula Coe constructum infelici quodam incendio in cineres redigebatur. Nolumus ipsi formulas Medicamentorum hic addere, quoniam varia ex marmoreo quodam monumento adhuc in palatio Maffejano existente communicavit celeberr. le Clerc. (α) potius

(α) vid. *Bibl. Hist.* l. I. (β) *Strabon. Gregor.* l. XVII.

(γ) *Galenus de compos. med.* l. II.

(α) *Dans l'histoire de la Medecine P. I. l. I. c. XX.*

tius ad alia exempla specialiora recensenda nos accingimus.

§. IV. Comode hæc in tres species dividuntur. Prima complectetur eadem exempla, quæ ipsis ægrotis evenere: Recensebit altera, quæ ægrotorum medicus expertus est: Tertia demum quæ amicis eorundem in somniis apparuerunt.

§. V. Ordinem secuturis primo sese offert illud quod in Æliani variis Historiis (α) de Aspasia legitur. Hæc adhuc puella insigni tumore mentum deformante corripiebatur. Pater curam habiturus filię suæ ad medicum eam ducit, qui vero ipsi medicamenta denegabat, quoniam tantum solvere non poterat, quantum poposcit. Contristata ideo optima Aspasia domum redit ibique in somnum incidit, quo durante a fœmina ipsi consilium suppeditatur, ut rosea ferta Veneris quæ jam aruerant, capiat, eaque contrita tumori imponat. Quod cum faceret post somnum, evanuit tumor & ita pristinæ suæ pulchritudini reddita fuit. Galeno teste quidam angina pertinaci vexatus per insomnium admonitus est, ut succo lactucæ uteretur, si a morbo liberari velit, cui monito optime etiam eventus respondit. Non dissimilis ab hac est historia, quam Johannes Manlius (β) de Melanchtone allegat. Laborabat oculus dexter viri hujus aliquando fluxu fatis periculoso, & cum multa tentaret medicamenta, frustra vero singula hæc exhibita esse expertus erat, somniavit tandem, ac si D. Philonem

A 2

Me-

(α) Lib. XII. c. 1. (β) In libello Medico rariorum experimentorum. p. 42.

Medicum confuleret, qui juberet, ut Euphrasia uteretur, quod medicamentum etiam intra biduum morbum pepulit. Narrant etiam Ephem. N. C. (γ) de viro quodam febre quartana diu jamjam misere vexato, quod per somnium viderit foeminam eleganti corporis habitu praeditam, quae manuprehendens illum in pomarium quoddam ducit decerptamque plantam illi porrigens dicit: In hoc tua salus, bibe & viceris. Cui monito morem gessit aegrotus sicque a morbo hoc diuturno liberatus est. Porro commemorant prolixè *Die geistliche Heb-Dpffer* / quae Berolini prodire (δ) de foemina quadam hydro-pica, quae cum frustra multorum medicorum operam implorasset, tandem nihil magis optabat, quam ut vitam cum morte mutaret. Ita autem anxia in somno vidit, ac si acum quandam majorem in abdomen protruderet, quo facto aquae profluxere, tumorque subsedit penitus. Narrat expergefacta marito somnium, hic iterum & medico & animae suae curatori. Uterque examinando foeminam sciscitatur, num quidquam de Paracenthese audivisset. Affirmabat illa quod non. Hinc consulunt eidem, ut notato loco acum protruderet, quod genus medicamenti tribus jam vicibus eandem ab aquis ita liberavit, ut negotiis suis vacare iterum potuerit.

§. VI. Ex illis, quae secundae speciei debentur, duo allegabo, eaque singularia admodum exempla. Est primum quod de experientissimo Rhum-

(γ) *Dec. II. a. 6. p. 21.* (δ) *p. IV.*

Rhumbaumio M. D. & Pr. Uratislav. narrat celeberr. Jo. Christ. Kundmann. itidem M. D. & Pr. Uratislav. (α) Nimirum curæ suæ traditus erat æger periculoso morbo correptus. Quid hic faciendum sit, dubius ancepsque hæret, hacque de causa maximopere sollicitus cubitum it & obdormit inter curas, quas excitarat miser ægroti status. In hoc somno videre sibi visus est librum quendam medicum, ubi non solum medicamenta ægri morbo profutura recensentur, sed ipsa methodus etiam monstratur, qua iis utendum foret. Non recordabatur, postquam reliquerat eum somnus, se vidisse unquam librum ejusmodi. Præmissis tamen medicamentorum & methodi examine comperit, neutrum horum Theoriæ suæ contrariari. Nihil igitur intermittit, quod in somnio viderat, sed omnia ita instituit, quemadmodum tunc edoctus fuit, qua ratione æger etiam sensim & optime convaluit. Alterum ipse Galenus recenset, cui, multis frustra in quodam morbo adhibitis, obvenit, ut in somno videret, liberatum iri ægrum si Salvatellam secare curaret, quod etiam ex voto ipsi cessit.

§. VII Ad tertiam speciem tandem etiam veniendum est. Curtius (α) Justinus (β) & Cicero (γ) uno ore affirmant, Alexandrum, postquam sagitta veneno armata vulneratum Ptolomæum

A 3 com-

(α) In der Abhandlung vom Verstand des Menschen
l. I c. IV. §. 13.

(α) l. 9. c. 8. (β) l. XII. c. X. (γ) de Divin. l. 2.

compererat, per somnium vidisse draconem, qui ipsi herbam monstrabat vires veneni debellaturam. Statim accersere illam iussit, ex cuius usu & Ptolomæus & multi fauciatorum iterum liberi evaserunt. Et commune quid cum hac historia sequens habet, quam in Plinio Seniore (δ) legimus. Refert nempe hic Auctor de milite morfu canis rabidi læso, cuius mater per somnum vidit filio profuturum, si rad. rosæ sylvestris, quam Cynorrhodon vocant, & quam pridie in fruticeto aspexerat, in lacte coctam bibendo sumeret, a quo remedio præter omnium spem etiam penitus restituebatur.

§, VIII. Facillimum erit, ex his exemplis colligere paulo accuratiorem de somniis nostris definitionem. Videmus enim quod illa Medicamenta nobis repræsentent in somno, & quidem talismodi, quæ morbum præsentem huncque periculosum adimere queunt. Ultima autem hæc dum experientia multiplici confirmantur, inducunt nos, ut credamus, oriri eadem a principio quodam sanitatis nostræ curam habente. Modus, quo id contingat, obscurus est, impervius, difficultatisque plenus, imo & sensus nostros & rationem penitus ferme fugit. Id interim scimus, quod eadem in nobis excitet ut languido corpori consulatur, prospiciaturque.

§, IX. Erunt itaque somnia nostra ejusmodi somnia, in quibus medicamenta morbos pellere valentia repræsentantur, quæque proveniunt a prin-

(δ) l. 25, c. 2, *hist. Nat.*

principio sanitatis curam habente, cujus tamen modum, quo se ad eadem producenda applicat, nescimus, eundem in finem instituta, ut a morbis hominum corpora liberentur.

C A P U T II.

De Causa & Modo horum somniorum.

§. I. Jam ex data definitione patere potest, necessario laborem nobis imponi, ut in causam & modum horum somniorum investigemus. Physici enim est, nosse non solum, quod varia fiant in orbe: obligatur etiam, ut sedulo hæc duo pertractare conetur. Quod igitur in genere de ratione pertractandi Physicam valet, de nostro etiam argumento jure dicitur. Unde parum recte sensisse Quintus mihi videtur apud Cicero- nem de Divinat. l. I. utpote qui de eadem mate- ria sermonem faciens, harum rerum eventa ma- gis quam causas quæri oportere arbitratur.

§. II. Sollicitos autem circa hoc argumentum optime juvabit, si percurrerimus causas possibi- les, quæ adduci poterant pro explicanda somnio- rum nostrorum natura. Pertinent somnia no- stra ad Physicam & cum omnes res physicæ a duplici creato Principio hocque vel solo vel si- mul conjuncto proveniant, hos singulos fontes adduxisse non e re credimus. Omnia enim vel mechanice vel idealiter vel idealiter & mecha- nice simul fieri ab initio statim voluit præpotens Numen. Fundamentum hujus divisionis facile
erues,

erues, si perspexeris, concessum hoc esse omnibus substantiis, ut effectus suos producant vel a virtute corporali, quam ipsis creata Elementa largiuntur, vel a vi quadam spirituali, ad quod ipsum natura Spiritus concurrit, vel demum a connexa arctius hac *δυνάμει* ita ut spiritus agat in corpus, corpus autem rursus reagat in spiritum. Ultra hæc nulla potentia possibilis est. Nostrarum itaque partium erit evincere, cuinam adductarum causarum sint adscribenda.

§. III. Valet multum in physicis Mechanismus. Quod vero nimium huic tribuant, singula exin derivaturi, peritiorum etiam est sententia. Objectum ubi incongrue applicatur, somnia rite dixeris. Considerata enim paululum natura Mechanismi inveniemus, absolvi illum proprietatibus materiæ & corporis. Quæris, quid sint hæc proprietates? dico, quod omnium ferme Mechanicorum ore figura & motu absolvantur. Jam autem hæc collige in unum sepone figuram, serva unice motum aut contra, imo combina hæc quomodocunque volueris & tenta demum an naturæ somniorum satisfacies salvis regulis genuine ratiocinandi, nisi simul assumseris substantiam intellectu præditam i. e. spiritum, a quo dependeat, quod objecta absentia veluti præsentia sensus somniantium feriant, & quod maximum quod dentur somnia, quæ mala nobis portendant, bona significant. Dum autem de genere hoc verum credimus, species falsitatis argui haud potest. Et sic firmum est, nec ulteriori probatione opus habet,

bet, solum Mechanismum haud esse in causa, ut somnia nostra existent.

§. IV. Solus igitur Mechanismus si haud sufficit, forsitan conjunctus ille cum ipso spiritu ad producenda somnia medica legitimam causam suppeditabit? Videtur mihi quod nec hoc procedat. Licet enim negare nolim, dari somnia ab hoc conjuncto principio originem suam ducentia, omnes tamen eorum species physicas ita formari, fidem superat. Exempla de prioribus quotidiana experientia suggerit, e quibus vero unicum saltem adducere lubet: Nempe contingit non raro, ut in morbis, ubi V.S. legitimum remedium est, ægrotantes vel incendia vel sanguinis profusiones vel etiam alia spectacula rubicunda intueantur. Causa esse videtur, quoniam tunc ut plurimum orgasmus quidam sanguinis corpori molestias facessit, extendendo partes ejus, sicque varios motus spasticos introducendo. Singula hæc sentit sanitatis nostræ Præses, qui his turbis obviam iturus somnia ejusmodi hominibus repræsentat, dum probe gnarus coloris rubicundi, quo tinctus est liquor iste arteriarum venarumque, talia formet spectacula, quæ eodem colore gaudent. Equidem omnem Mechanismum a somniis nostris haud removeo. Potius accidentalia eorundem eidem tribuo, de quo tamen infra uberius dicendi occasio suppeditabitur. Unice id volo, quod essentiale horum ex alio fonte derivandum sit. Consistit enim hoc semper in eo, ut Medicamentum quoddam mor-

bos propulsurum, si eo utamur, in somniis appareat. Jam si Mechanismo una cum spiritu conjuncto adscribendum sit aut ab externis sensibus haustum erit, aut internis corporis nostri partibus debebitur. Non prius, quod exempla adducta confirmant; non posterius, quoniam nulla inter partes, siue illæ sint fluidæ siue solidæ, & dicta medicamenta connexio datur.

§. V. Remanet itaque concursus solius spiritus. Dum autem jam supra facti sumus, objectum meditationis nostræ ad Physicam pertinere, eo ipso cadit illud, quod nec immediato Dei & Angelorum auxilio nec genio cuidam infernali sit adscribendum. Physica enim circa ea solum occupatur, quæ ex naturalibus causis derivanda sunt. Ad quod igitur immediate concurrunt Deus & reliqui dicti spiritus, naturalis amplius dicendus haud est effectus sed præternaturalis, miraculo haud dissimilis. Præter hæc ex aliis phænomenis a somniis nostris parum diversis apparet, creasse Deum præter Angelos, aliam adhuc potentiam, cujus virtutes cum ejusmodi effectibus amice conspirent. Interim nullus inficias ibo, quod & præpotens Numen nonnunquam auctor ejusmodi somniorum dicendum sit. Quod enim pristinis temporibus sæpe præstitit, nunc etiam adhuc præstare valet. Plurima tamen eorum exempla potius naturali cuidam causæ tribuo, cum alias quotidie miracula videres, quæ tamen juxta saniorum Theologorum sententias rarissime nunc contingunt. Facile

eile equidem somnia, quæ in templo Ifidis, Osiridis & Æsculapii capiebant dæmoni cuidam cum celeber. Sponio (α) adscribere poterat. Verum hic non semper ad immediatum Dæmonis concursum confugiendum esse, fuse admodum probavit doctiss. van Dale. Dicit enim multum hic semper hominibus imposuisse ethnicos sacerdotes. Quid autem impostura hæc ad somnia contribuat, vix video, nisi dicere velim, illos cum effectu causæ naturalis ita lusisse, ac olim Numa Pompilius cum sua Ægeria & Socrates cum dæmonio suo.

§. VI. Et cum hi sunt spiritus illi, qui extra nos positi in corpus hominum agere possunt, uti persuademur & a quorum auxilio derivanda haud veniunt somnia nostra, nihil restat, quam ut dicamus, tribui illa commode spiritui in nobis ipsis hospitanti. Maxima autem est controversia inter Physicos, dum alii unum saltem spiritum in nobis agnoscunt, alii duplicem eum esse contendunt. Ultimæ huic sententiæ ratio maxime favet. Nolo ex hoc fonte omnia allegare, quæ rei veritatem probare possent, cum abunde satis, hoc jam fecerunt & Magnific. Dominus Rivinus (α) & Excell. Rüdigerus (β) Præceptores, quoad vixero, colendi, ut & autor iste anonymus, qui gallico idiomate Medicum sui ipsius conscripsit; Ne vero sicco pede transeam hoc argumentum, ea

B 2

saltem

(α) *Vid. Obs. circ. Febr.*

(α) *In Diss. de Spir. Hom. Vital. Sens. veri & falsi.*

(β) *In Diss. præfixa*

saltem feligere placet, quæ vix aliter, quam ex præsupposito duplici principio explicari possunt. Nimirum quotidianæ est experientiæ, ut uno momento cupido aliud, aliud mens velit (γ) quemadmodum loquitur Naso. Exemplum sequens illustret assertum. Excitatur in quodam cupido furto auferendi alterius bona. Dum hoc sentit, simul etiam de fœditate criminis, de pœna, quæ illud sequi poterat ratiocinatur. Jam, si uni substantiæ solum adscribendum, difficile admodum, ne dicam impossibile conceptu, quod uno momento ad duo plane diversa se determinet: Una enim ex parte negat, altera affirmat. Quod vero hæc excipere sese semper debeant, rationi conforme, contrarium, ut uno momento contingere possint. Dein constat omnibus, quod memoria polleamus. Quidquid autem hac facultate instructum, actionum quoque a se susceptarum recordabitur. Si itaque menti omnes actiones adscribendæ, neutiquam videmus, cur non ipsi constet e. g. formatio fœtus. Quod enim hæc in corpore fœminino peragantur, demum post menses aliquot ex signis externis comperiunt. Unde concludimus, esse adhuc aliud ens spirituale, cui varia munia Deus imposuit.

§ VII. Eviçta jam duplicis spiritus existentia, evincendum quoque, quisnam horum spirituum circa negotium nostrum occupetur. Videbimus illud consideraturi paululum naturam unius alteriusve. Offert se hic primum mens nostra, cujus actio-

(γ) *Bohn. Circ. Anatom-Phys. Prog. IV.*

actiones in eo consistere putamus, ut præeuntibus sensibus externis demum memoria mediante ideas formet, hasque dein iterum ex hoc penu depromat, varie componendo easdem, prout tunc vel ingenium vel iudicium operatur. Quod enim præter hæc nihil in se suscipiat dicta substantia, ex argumento sub finem paragraphi præcedentis adducto facile de plurimis apparet.

§. VIII. Equidem adhuc dubitari poterat, numne ingenio tribuenda sint somnia nostra, cum experientia confirmemur, quod illud actiones suas optime tunc exerat, quando sensibus externis non turbatur. Verum accuratius rem intuiturus haud difficulter etiam attendet, ideas, quas combinat ingenium, nihi ominus antea jamjam mediante sensu externo esse introductas & intra tempus in memoria asservatas. Præterea & hoc accedit, quod actiones ingenii magnam semper habeant connexionem cum antea cogitatis. Neutrum vero circa nostrum objectum observamus, quippe de quo contrarium plane experimur. Superest itaque, ut dicamus, præpotens Numen animæ concessisse hoc negotium.

§. IX. Reperta sic causa substantiali, videntur etiam, ex quanam virtute illud præstet. Nolumus prolixa commentatione singulas investigare. Ad scopum nostrum sufficit, unice hujus naturam paulo penitus perpendisse. Ut autem hoc assequamur, conficienda erit definitio de hac ipsa virtute ex aliis phænomenis, quantum essentielle spectat, nihil a somniis nostris discrepanti-

bus, quæ si applicari poterit objecto meditationis nostræ, salva res erit, quod ab hac ipsa etiam dependeat.

§. X. Notum in vulgus est singulare illud, quod in nobis occurrit, & quod divinationem appellant, Germani dicunt *das Ahnden*. Homines nempe in duplici statu illud experiuntur. Alter morbo nullo correptum corpus præsupponit, alter vero tunc existit, cum sanitate destituitur principii vitalis domicilium. Divinamus autem vel mali aliquid vel boni: Quot igitur species horum sunt tot etiam objecta habet, circa quæ versetur. Sic frequentis est observationis, ut matres senserint insignem animi ægritudinem eo momento, quo filii, multum ab illis remoti, morte perimebantur. Idem liberi sæpe de parentibus experiuntur, quod illustri exemplo comprobat Borellus (α). Et quem fugit quod hæud raro peregrinantibus, latronum atque ferarum insidiis & rapacitati expositis, contingit.

§. XI. Similia in altero statu admiranda conspicere licet. Noti sunt omnibus quorundam morti propinquorum sermones, quos instar miraculi insequens demum tempus comprobavit? & cui non innotuit stimulus iste ad varios cibos interdum etiam absurdos, quibus exhibitis, convaluere ægrotantes, denegatis, mortui sunt. Imo dicam adhuc plura. Memoriae etiam proditum est mania & melancholia misere afflictos sæpius medicamina sua in ipso paroxismo indigitasse.

Sic

(α) *Obs. Cent. II. Obs. 47.*

Sic a viro quodam celeberrimo annotatum esse comperi, quod maniacus morbo suo correptus, non una vice lactis vocabulum pronunciaret. Dabatur ipsi hoc genus cibi, sicque a morbo penitus liberabatur. Annotavit quoque Smetius (a) de musico quodam melanch. quod sibi testes avulserit & exin salvus sospesque evaserit.

§. XII. Visuro igitur, quid in his omnibus factum sit, facile apparebit, quod cognoverint vel bonum aliquod vel malum, modo quodam extraordinario, quod ipsum singulari cuidam animæ sensationi adscribendum. Quamobrem non incongrue dixeris divinationem, quod sit modus extraordinarius cognoscendi vel bonum aliquod vel malum, ortus a propria quadam animæ sensatione.

§. XIII. Applicabimus jam datam definitionem objecto nostro. Fuit nempe conceptus genericus modus extraordinarius cognoscendi vel bonum aliquod vel malum. Occurrit idem in somniis nostris. Nam & hic medicamenta modo extraordinario cognoscuntur. Intelligimus autem per τὸ extraordinarium, quando media cognoscendi ordinaria cognitionem rerum haud produxerunt. Scimus, quod hæc duo sint, sensio nempe & ratiocinatio. Scimus etiam, quod, si organa horum rite comparata deprehendantur, in nostra potestate positum sit utendi illis. Jam vero dicta medicamenta nec sensatione externa fuere introducta, nec ratiocinatione conclusa;

(a) *In Miscell. suis.*

clusa ; Imo in nostra etiam potestate non est, ut somniemus talia, quocunque tandem tempore velimus, sed eveniunt sæpe hæc nobis prorsus inexpectata. Porro per se patet, quod tunc boni quid cognoscamus. Quidquid enim sanitatem, bonum illud corporis promovet, merito hoc nomine insignitur. Sed quemadmodum genus, ita etiam differentia huc quadrat. Superius enim jam probatum est, animam esse eorundem causam. Nec removenda hic propria ista sensatio, cum ex adductis exemplis certo persuademur, ordinariam sensationem nihil in hoc negotio valere.

§. XIV. Ut itaque divinationis opus dicantur somnia nostra, nihil ulterius impedit, nisi forsan ad probandum contrarium huc traheres illud, quod non ut allegata superius exempla inter vigilandum, verum in somno contingant. Quemadmodum autem homines pariter & bruta non ideo animalia esse desinunt, quoniam ratione polent priores, & posteriora, quoniam eadem carent, sic & hæc accidente saltem quodam, quod ubivis diversas species producit, a se invicem discrepant. Accedit, jam evictum esse pluribus ab Excell. Rüdigerero in Dissert. Sens. Veri & Falsi præmissa, quod divinatio tunc potissimum eveniat, cum mens vel plane non vel debilius operetur. Testantur hoc moribundi & quoad intellectum stupidiores nonnulli, imo ipsa animalia bruta. Ea enim cum sit animæ conditio, ut a mente in pluribus dirigatur, hac fortius in illam agen-

agente a propriis suis actionibus distrahitur. Cum autem remoram ejusmodi non experitur, quod in moribundis, stupidioribus & ipsis brutis occurrit, virtuti huic divinandi magis sese applicat. Et idem certe in somno conspicuum est, quippe ubi nec sentit nec cogitat mens nostra, nisi ad utrumque hoc ipsum vel ab anima vel a corporis sui mechanismo stimuletur. Hinc colligimus, melius adhuc in somno, quam in ipso statu vigiliarum divinationem procedere posse.

§. XV. Postquam itaque & de causa substantiali æque & de virtute, per quam somnia medica producuntur, quædam diximus, porro earum partium est investigare, qua ratione se applicet causa ad producendum ejusmodi effectum. Incipiemus ab essentiali, progressuri dein etiam ad accidentalialia. Quod prius spectat, consistit illud in communicatione medicamenti morbum propellere valentis. Antequam hoc communit, prius ab ipso morbo ad idem faciendum disponitur. Fit hocensione illa, cujus jam aliquoties mentionem fecimus. Persuasum itaque est illi, facile succubiturum corpus, nisi ipsa succurrat vi ista plane singulari. Quæ igitur morbo mederi poterant, quoque sentit, quo autem id fiat modo, me nescire, lubens fateor. Per sensum enim externum illud fieri supra jam remotum est. Per sensum vero internum esse nequit, cum hic demum sequatur, quando præcessit & sensus externus & subsequens hunc idea. Præter hos autem hæctenus nobis nullus est cognitus:

gnitus : Hinc recte nostrum occultum abstru-
sumque appellamus. Excipit tandem hunc sen-
sum actus iste, ubi nempe anima eodem sensu af-
ficit mentem, qui requiritur, dum alias objecto-
rum præsentiam, motum atque figuram sensibus
externis percipimus. Animæ igitur actionem
passio mentis statim insequitur, quemadmodum
hujus actus in plurimis operationibus præcedit,
antequam pati solet ipsa anima, uti videre est in
motu muscutorum & quando ex nimia matris
imaginatione nævus maternus foetui imprimitur.

§. XVI. Uti jam monuimus paragrafo præ-
cedenti, ab essentiali veniendum erit ad acciden-
talia. Consistunt hæc in variis istis modis, quos
in representatis somniis nostris offendimus. Pri-
mum occurrit illud, quod conspicitur, interdum
medicamenta somniantibus revelari tot & tam
varia ratione. Alter enim oculis suis usurpavit
medicamentum, alter ex alius narratione perce-
pit, morbum hunc fugatum iri, si eodem utere-
tur. Crediderim sic expediri commode hæc
posse, si dicatur, contingere non raro, ut positus
ille spirituum animalium, qui interdum ad varia
concupienda objecta necessarius erat, nondum sit
destructus. Ut itaque communicet menti me-
dicamenta, opus habet spiritibus, alias fieri illud
haud posset. Hos autem dum appellit, præter
medicamenti repræsentationem, immiscentur ad-
huc eæ signaturæ, quæ forte fortuito in ipsis
spiritibus animalibus adhuc occurrunt. Sic in
priori casu facillime obvenire potest, ut somni-
ans

ans inter vigilandum vel hortos vel pratorum jucundissima spectacula viderit, quæ demum se iterum in ipso fomno repræsentant. Pariter mirari tunc non subit, quod Aspasiæ per fœminam, quod Melanchtoni per medicum, quod Rhumbaumio per librum, medicamina appropriata fuerint detecta. Nam Aspasia a fociis suis durante morbo forsan frequentius visitata, ita ipsarum commiseratione moveri potuit, ut facile rediret per somnum facies lectissimæ cujusdam fœminæ: Melanchton multis frustra tentatis, quem demum consuleret, anxius etiam hæsit; Tandem medicus ille apparuit, cujus in medendo dexteritas multum Melanchtoni pollicebatur. Et quid magis est eruditorum negotium, quam libros evolvere? unde Rhumbaumius haud difficulter somniare poterat, se hausisse illud ex libro, cujus reliqui alia ratione fuerant commoniti.

§. XVII. Pertinet ad accidentalialia adhuc vidisse brevibus, cur non tantum æger ipse, sed quoque amici ejus, imo medicus talia somnia experiantur. Constantis est observationis & amicos & medicum in hoc statu maxime de ægrorum valetudine fuisse sollicitos. Cum hac sollicitudine, quæ constitit in perpetua juvandi ægros cura, ægritudo summa etiam in anima excitabatur, unde ad agendum impulsa præstitit, quæ mediante ipsa divinatione poterat præstare.

§. XVIII. Et sic finita sunt ea, quæ in hoc capite pertractare suscepimus, non inconueniens erit, addere in sequentibus pauca adhuc de pru-

dentia medici circa hæc somnia, collecturi ex-
in, quid medico faciendum & quid omittendum
esse opinamur.

C A P U T III.

De prudentia Medici circa hæc somnia.

§. I. Ut morbis medeamur, quibus subjacet
corpus humanum, ordinarie medicamentis opus
habemus. Reliquerunt nobis seduli artis hujus
scrutatores fontes duos, unde haurire eadem
possumus. Prior est instituta semel & per lon-
gos temporum tractus continuata observatio,
quæ vires medicamentorum nos edocet, quid-
que prodest in hoc vel illo subjecto, dilucide com-
monstrat. Posteriores ipsa ratio, s. quod idem
est, solidior quædam Theoria constituit. Quod
hæc sint genuina media perveniendi ad finem
nostrum probatione proluxa indigere haud ju-
dico. Nam de experientia vix ullus dubitabit.
De Theoria vero facile a posteriori convinci-
mur, cum practicis quotidie adhuc occurrunt
casus, de quibus nullæ prorsus observationes
prostant, aut, si hæc etiam adsint, impossibile, o-
mnes illas memoria tenuisse. Ut itaque solemur
ægotantem, necesse omnino est, ingenii nervos
intendere, perscrutando ubivis, numne tolli pos-
sit medicamento quodam ipse morbus.

§. II. Videmus ex his, illud genus hominum
non esse medicos, quod arti suæ satisfacturum
somnia

fomnia captet, & quod pro quovis morbo appropriatum fit remedium, exin repetat. Interim cum sæpius experientia nobis imponat, Theoria interdum non sufficiat, contra vero multis admodum exemplis comprobatum fit, quod intra somniandum detecta fuerint optima medicamenta, supersticiosum medicum illum haud facile dixerim, qui & hæc attendit. Sine prudenti autem deliberatione singula arripere velle, etiam absolum foret. Hinc non absque prudentia agere medicum debere, exin sequitur. In quo vero talem consistere arbitrer, ex sequentibus elucescet.

§. III. Præcipue in hac medici prudentia duo erunt notanda. Alterum est, an medicamenta somniis detecta duobus istis medicinæ fulcris (experientiam puto & rationem) innitantur, an non. Utroque casu diversa plane dispectione opus habebit medicus. Tutius namque in uno consulere poterit quam in altero. Et licet facile nobis appareat, quod, ubi prius comitetur somnia nostra, audaciori vultu pronunciare possit, ablatum iri hujus medicamenti usu morbum, quam ubi alterum se prodit: accuratius tamen in singula hæc membra seorsim investigare nobiscum constituimus.

§. IV. Ante omnia quæstio est, quid faciendum, si & cum experientia & cum ratione convenient medicamenta? Facillimum esse credo ad hoc respondere. Cum enim experientia ana cum ratione conjuncta duo sint ista fulcra quibus medicina rationalis sustentatur, non video, quid impediat, quo minus adhibeantur ea, quæ in somniis apparuerint. Ultra hoc namque & sapientissimus & acutissimus medicorum haud potens est. Exoptandum sane, ut tandem aliquando ea felicitas contingeret arti medicæ, ut de singulis medicamentis, quæ toties experientia comprobata sunt, solide demonstrari posset modus, quo morbos sustulerunt, ne tam in-

genue sæpius fateri cogeremur, effectum nos scire, causam vero & modum fugere nostram cognitionem.

§. V. Non raro autem hoc adhuc premitur ars nostra: Quando itaque experientia unice comprobatur medicamentum, quod somnia commendavit, dissuadente illud ipsa ratione, quid tum faciendum? Haud difficulter & huic instinctui obedire poterit medicus, si modo recordetur primordiorum artis salutaris, quippe ubi omnia eo redibant, ut factas semel de medicamentis observationes sequerentur. Nec meliores sane multorum Practicorum labores & nunc sunt, utpote qui consulto omnem Theoriam spernunt, hocque vel ex eo, quod instructi eadem erant, quæ ut oves Ægonis nec ossibus hærebat, vel, quod & melior eosdem interdum fefellerat. Non vero mirum, optimam quoque Theoriam sæpius hallucinari, non per se, sed per accidens, quod partim ex vitio ipsius ratiocinantis exsurgit, partim ex deficientibus quibusdam phænomenis redundat, quæ, si adessent, contrarium plane confiteremur. Nec esse aliter facile potest, cum medici practici Theoria probabilitatibus ut plurimum suffulcitur, quæ vero semper cum metu oppositi sunt conjunctæ.

§. VI. Sed ratione experientiæ varia adhuc poterant moneri. Nimirum evenire potest, ut interdum medicamenta revelentur, quæ experientia comprobata sunt, sed in alio morbo, aut quæ alio modo, quam hætenus consueverunt Medici, componuntur. Rejicerem hic eandem securitatem, quam forte sufferre poterat casus, præcedenti paragrapho allegatus. Interim, ut plane desisteret ab usu horum medicamentorum Medicus, etiam haud suaderem. Nam quod prius attinet, multa celebria jamjam medicamenta sub initium in subigendo specialiori morbo dabantur, quæ nunc ad alia mala propellenda etiam adhibemus. Sic notum est, quod Celeber. ille Crato a Krafftheim primus in materiam medicam introduxerit Cinnabarim, pulsurus hoc medicamento epilepsiam, quod tamen ipsum ab aliis in diversis plane morbis adhibitum fuit. Et quod ad alterum, itidem

dem constat, sapius tunc indicationi cuidam satisfieri, haud obtinendæ absque hac præparatione, id quod dilucide ex Eleboro & Aloe confirmatur: probant quoque idem variæ medicamentorum compositiones, quæ absona interdum & absurda videntur, revera autem non sunt. Videre hoc est in Theriaco & Mithridatio, medicamentis longa experientia comprobatis. Dantur tamen medici, qui illorum usum vel ex eo respuunt, quoniam electæ semel suæ hypothesei parum respondent.

§. VII. Post experientiam venit in societatem considerationis nostræ ipsa Theoria. Nam fieri potest, ut Theoriæ exacte respondeat medicamentum, de quo tamen comperitum haud habemus, fuisse illud aliquando exhibitum. In hoc casu examinandam prius esse Theoriam censerem, an ope illius explicari possit, quomodo connectantur phænomena morborum & qua ratione unum ab altero dependeat. Si ita invenerit eandem, non sine ratione usum medicamenti suadebit. Pro certo interim dextrum ejus successum haud promittet, quoniam tunc forte melius in charta quam prope lectum ægrotantis curaret. Et, nisi etiam caute hic procedat, ex nimio in hypothesein suam amore ægrotanti labem inferre poterit. Caterum penitus negligere medicamentum idem foret, ac si quis ex circumstantiis nonnullis de medicamenti bonitate instructus, illud ideo adhibere nolit, quoniam vel ab Hippocrate vel Galeno non fuerit adhibitum. Hi enim duumviri & qui ipsos secuti sunt, in fundamento ponendo laborarunt solerter, ne utiquam autem artem medicam perfecerunt, sicque posteritati suæ multa adhuc reliquerunt enodanda. Præter hæc ex consensu omnium fere medicorum præstat, in casu necessitatis adhibere dubia medicamenta quam nulla. Ratio est facillima, quoniam sic liberari adhuc potest æger, sine dubio periturus, si iisdem carere opus haberet.

§. VIII. Et hæc de uno membro satis dicta sunt. Ad alterum etiam accedere propositi nostri ratio jubet. Nimirum evenit interdum, ut inter somniandum medicamenta
 appa-

appareant nec experientia nec Theoria conformia, imo etiam contraria. Sed nec hic crediderim, omittendum prorsus eorundem usum esse. Unice id attendat necesse est, ut caute admodum in horum applicatione procedat. Prius exin colligo, quoniam exempla prostant, ubi inter vigilandum idem experti sunt aegrotantes. Nam instigati haud raro ad genus quoddam esculentorum & potulentorum convaluerunt prorsus, si idem ipsis concessum sit; mortui sunt, aut ad minimum ulteriorem morbi durationem promoverunt, si cogerentur, carere eodem. Sic E. N. C. Dec. II. A. 10. Obs. 192. referunt de foemina quadam, misere dysenteria laborante, quae ex usu uvarum recentium liberatur. Produunt pariter iidem Ephemerides, quod & diarrhaea & dysenteria post sumptum ex maximo appetitu aquae frigidae haustum pulsae fuerint. Posterioris veritatem ideo concludo, quoniam alias damnum haud leve inferre potest ipsi aegroto. Si igitur cautelas ipsas addere cogere, existimarem, male haud factum iri, dum ratione doseos a pauca quantitate medicus ordiatur, visoque, bene admodum procedere hoc, aegrumque exin refocillari, demum ad maiorem quantitatem pergat, hacque tamdiu continuet, donec penitus fini suo satisfactum esse perspexerit. Contrarium ubi experitur, sub initium statim desistendum est, sicut consuevimus, quando exin sinistram eventum opinamur.

§. IX. Dum autem hic instinctus naturae tanti momenti sit, evincendum adhuc est criterium, quo mediante appareat, quod nulli alii principio debeantur. Experientia teste in eo consistit, ut medicamentum in somnio detectum ante somnum nullo sensu externo perceptum fuerit. Convenit enim tunc cum data superius definitione de instinctu illo, quem divinationem diximus. Quidquid autem huic exacte respondet, illud vel ex errore vel ex affectu alii facultati tribuitur.

Longiori probatione possent haec facile deduci, sed hoc ipso abuterer nimis lectoris patientia. Quamobrem laboris mei hic esto

F I N I S.